

§. II. Quæ utut in monachis fere sui temporis desiderare videantur, uterque tamen in aliis etiam, præcipue feminis, olim reprehendit ISIDORVS Pelusiota, quod divinis hymnis parum, aut nihil, afficiantur, sed *cantus suavitate ad imitandas & exstimulandas libidines abutentes nihilo eam scenicis cantilenis præstantiorem esse existiment.* (d) Auctor igitur erat, feminis, ne deinceps in Ecclesia canerent, interdiceret. At, cum hoc vitii genere mares aliquando non minus, quam feminae, laborent, bene ac sapienter fecit Ecclesia, ejus quod consilio uti, & feminas a cantu publico arcere, dubitavit.

§. III. Interim omnino in sacris non modo canendum, sed etiam cum devotione, ad Numinis gloriam, & nostram ipsorum salutem, canendum est. Docet hoc ipsum, urgetque Apostolus, quando *Eph. V. 29.* nos jubet, *ψάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ Κυρίῳ.* Quem locum THEODORITVS, (e) sic explicat: *Τῇ καρδίᾳ ψάλλει ὁ μὴ μόνον τὴν γλώτταν κινῶν, ἀλλὰ καὶ τὸν νῦν εἰς τὴν τῶν λεγομένων κατανόησιν διεγείρων.* THEOPHYLACTVS, (f) vero: *Corde canere est, μετὰ συνέσεως καὶ μὴ βεβημένης τῆς καρδίας.* Ὁ γὰρ προσέχων, qui cum attentione canit, *is corde psallit.* Quapropter & canere & psallere, & laudare Dominum, magis animo, quam voce, debemus.

§. IV. Fuit, qui formulas omnes, fiduciam, & παρρησίαν fidei sapientes, cum *optativis* commutandas esse, putaret,

(d) L. I. Ep. XC. f. 29. ed. Paris. (e) Theod. ad b. l. f. 314.

(f) Theophyl. ad b. l. f. 555. ed. Paris.